

non est necessitatus ad peccandum, sed potentia saltem physica potest non peccare et servare legem naturalem : non *secunda* ; quia quamvis homo non possit credere sine gratia, seu actualis fides non habeatur sine concursu gratiæ; tamen sine gratia potest credere, seu credendi potentia habetur sine gratia.

R. N. *min.* Quoad 1^{am}. *prob.* N. Ass. S. Aug. hic probat justum esse iudicium Dei damnantis homines, etsi Evangelium illis non fuerit prædicatum : quia si potuerunt audire et scire legem Christi, et noluerunt ; hæc ipsa ignorantia graviter peccarunt et hinc ob *actuale* peccatum juste damnantur : si autem non potuerunt audire, etiamnum juste damnantur ob peccatum *originale*, quod in ipsis ope baptismi non fuit deletum ; quæ omnia omnes Catholici contra *Pelagianos* admittimus. Quamvis vero supponat, aliquos non posse audire Evangelium ; tamen quia non explicat, an sit impotentia *proxima* aut *remota*, culpabilis aut omnino inculpata, inde nihil contra thesin nostram extundi potest.

Ad 2^{am}. *prob.* *Transm.* priore N. posterius membrum ; neque enim potentiam credendi haberi sine gratia, docuit nos Christus Joann. 15. v. 3. dicens : *Sine me nihil potestis facere*, et supra ex TRID. et AUGUSTINO fuit ostensum.

358. *Obj. II.* Nostra assertio rursus plura infert *absurda*. Nam 1^o. si Deus nequeat denegare gratias sufficientes, et in earum defectu *justa foret* infidelium *excusatio* ; non inde jam gratia, sed *justitia liberaret*, ut S. AUG. ep. 103. loquitur et reprobatur.

2^o. Sequeretur, aut non dari infidelitatem *negativam*, aut eam pure talem esse *peccatum*, qui est art. 63^{us}. Bani damnatus : si enim omnes infideles haberent gratiam, ut crederent, possent superare ignorantiam ; ideoque non forent infideles *negative* : aut quia superare ignorantiam possent, in iis *negativa infidelitas peccatum foret*.

3^o. Facile posset explicari, cur ex infidelibus alii perveniant ad fidem, alii non perveniant ; dicendo nempe, alios gratiæ remote sufficienti consensisse, alios esse reluctatos ; in qua tamen quæstione S. AUGUSTINUS semper recurrit ad inscrutabilia iudicia Dei.

R. *Ad arg.* N. Ass. *Ad prob.* 1^{am}. N. *seq. et oppositionem* cum S. AUG. Imprimis enim, quantumlibet Deus jam ob voluntatem salvandi omnes nequeat denegare gratias sufficientes, tamen, cum hæc ipsa voluntas proveniat a sola Dei liberalitate ac misericordia, hoc ipso illæ non sunt homini debitæ ex titulo justitiæ, sed ex fidelitate Dei liberalitatem meram supponente ; adeoque gratia semper, non autem justitia liberat. Deinde S. AUG. objectis verbis nihil aliud intendit docere, quam *infideles*, si omni etiam gratia careant, nihilominus juste ob peccatum saltem originale damnari, nullamque excusationem prætexere posse, quemadmodum repetendo summam hujus L. de corr. et gr. c. 7. n. 11. ait : *Nemo liberatur a damnatione, quæ facta est per Adam, nisi per fidem Jesu Christi : et tamen ab hac damnatione non se liberabunt, qui poterunt dicere, non se audivisse Evangelium Christi*. Itaque quamvis hæc excusatio : non audivimus Evangelium, vel nullam accepimus gratiam, liberare homines nequeat a damnatione, quæ facta est per Adam, seu peccato originali debita ; tamen liberaret ab eadem damnatione, quæ

propriæ voluntatis additamento seu peccatis actualibus sine gratia non evitandis correspondet.

Ad prob. 2^{am}. N. *utr. seq.* Priorem quidem ; quia licet absolute illa ignorantia Evangelii vinci possit ; tamen quousque *infidelibus* reipsa illud non prædicatur, nec ignorantia moraliter vinci potest, nec committitur peccatum infidelitatis ; ut in paritate Jacobi ad Liam ex ignorantia accedentis liquet : Posteriores autem ; quia, etsi ex abusu gratiæ remote sufficientis sequatur carentia gratiæ fidei seu proxime sufficientis, tamen iste effectus infideli nec est *cognitus* nec *cognoscibilis*, adeoque nec voluntarius ; unde nec defectus fidei eidem culpabilis esse potest, saltem sub ratione ac malitia infidelitatis.

Ad prob. 3^{am}. N. *seq.* Quamvis enim verum sit, infideles omnes, qui generali illa gratia recte uterentur, ampliora auxilia accepturos ; falsum tamen est 1^o ampliozem illam gratiam esse efficacem ; quia Deus hanc, quibus vult, ex solo arbitratu imperitit : 2^o eam statim esse proxime sufficientem ad fidem et cum prædicatione Evangelii conjunctam ; quia hanc Deus, quando et ubi vult, elargitur : 3^o illam solis his concedi, qui generali gratia recte sunt usi ; quia Deus ex omnibus fere infidelibus generalem gratiam perinde repudiantibus, alios per misericordiam Evangelii luce collustrat, alios per justitiam eadem privat. Unde ad quæstionem illam, cur hi potius, quam illi ad fidem perveniant, enodandam, ad illud inscrutabile arcanum, de quo PAULUS et AUGUSTINUS, semper recurrendum est. Atque hoc ad exemplum Magistri sui fecit S. PROSPER L. 1. de voc. Gent. c. 21.

Inst. S. AUG. L. de corr. et gr. a c. 6. usque ad 11. solvens objectionem et querimoniam eorum, qui se immerito corripit obtendebant, quod non accepissent gratiam ad ea vitanda, ob quæ corripiebantur, nunquam eo confugit, ut responderet, præsto esse cuilibet *gratiam sufficientem* ; sed quantum ad *fideles*, probat, eos merito corripit, quia ab accepta justitia exciderint propria culpa : quantum ad *infideles*, correptionem justam ostendit ex eo uno, quod in Adam peccaverint, et illius culpa justitiam originalem, in qua conditus erat, amiserint ; ergo.

R. 1^o. N. *Cons.* quia recte non sequitur. AUG. hic loci non facit mentionem gratiæ sufficientis *infidelibus* datæ ; ergo nullibi eam admittit ac penitus ignoravit ; præsertim quia in hoc libro non agit de gratia mere sufficiente, sed de efficaci ; nempe qua Deus dat velle, obedire, operari et perseverare, non autem posse tantum velle etc.

R. 2^o. N. A. S. AUG. L. cit. c. 7. n. 11. distinguit aperte inter correptionem in hac vita, et inter correptionem in altera seu damnationem, dum ait : *Nec se excusabunt dicentes, sicut modo dicunt, quare corripimur ? ita tunc : quare damnamur ; quandoquidem ut ex bono revertemur ad malum, perseverantiam non accepimus qua permaneremus in bono ? nullo modo hac excusatione a justa damnatione se liberabunt.*

Porro utramque asserit esse poenam justam peccati sive *originalis* sive *actualis* ; et quidem eum, qui actuale seu personale peccatum commisit, excusari nullatenus posse, sive corripatur in hac vita, sive damnetur, ostendit ex eo, quia c. 6. n. 9. loquitur : *Certe iste non potest dicere, non accepit, quia acceptam gratiam Dei suo in malum libero amisit arbitrio : eum vero, qui nullo personali peccato addito damnatur, ostendit queri non posse, quia per peccatum originis damnationem est meritus, ut c. 7. n. 12.*

ait : *Per hoc et qui Evangelium non audierunt... et qui per aetatem parvulam nec credere potuerunt, sed ab originali noxa solo possent lavacro regenerationis absolvi, quo tamen non accepto mortui perierunt, non sunt ab illa conspersione discreti, quam constat esse damnatam, euntibus omnibus ex uno in condemnationem.* Eundem denique juste etiam corripit et objurgari posse, probat exinde, quod *prima pravitas, non sine causa dicitur et nostra, quia in illo uno omnes, sicut dicit Apostolus, peccaverunt.*

359. *Obj. III.* Fides est prima omnium gratia : sed multi non accipiunt fidem ; ergo.

R. *Ad arg. D. M.* Fides proprie talis et perfecta est gratia omnium prima N. late talis et inchoata, *subd.* sumpta secundum substantiam et actum N. sumpta secundum auxilium praeveniens et potentiam C. Fides proprie et stricte talis est assensus nixus auctoritate et revelatione formali loquentis Dei : *perfecta est*, quae explicite credit saltem omnia scitu necessaria necessitate medii. Hujusmodi fidem non esse primam omnium gratiam, patet tum ex damnatione propositionum num. 356. relata, tum ex eo, quod ad ipsam fidem gratia praerequiratur. Fides *late talis* est vel assensus nixus revelatione divina solum virtuali, quatenus haec per creaturas, indicia et cognitionem de Dei existentia et perfectionibus naturaliter intelligibilibus nobis praebentes, quodammodo fieri dicitur, vel alius quidam supernaturalis actus deliberatus sive intellectus sive voluntatis, quo directe vel indirecte ad fidem divinam proprie talem et perfectam movemur aut disponimur.

Atque hoc sensu Conc. ARAUS. Can. 5. *credulitatis affectum vocat initium fidei* ; AUGUST. autem L. de praedest. Sanct. c. 2. n. 5. *judicium, quo prius cogitamus esse credendum, dicit fidei caeptum* ; ac L. 1. ad Simplic. q. 2. n. 2. dispositiones, quibus quasi per gradus quosdam ad fidem paramur, universim *inchoationes quasdam fidei, conceptionibus similes* appellat. Porro nec hanc fidem quoad se, substantiam et actum spectatam esse primam gratiam, liquet ex dictis, cum ibidem gratiae etiam praevenientis mentio fiat.

Excipi tamen potest *fides late dicta*, seu cognitio Dei existentis ex creaturis hausta, quae quamvis ob adjunctum gratiae concursum sit supernaturalis, tamen quia ex evidentia oritur, *libera* non est, et habet rationem gratiae excitantis alias in actibus indeliberatis positae ; unde et eandem diximus ad amorem Dei aliosque actus excitare, in quibus *fides inchoata* nuper est posita.

Ex his similiter *D. m.* Multi non accipiunt nec fidem proprie talem et perfectam, nec etiam late talem et inchoatam, saltem sumptam secundum substantiam et actum C. nequidem sumptam secundum auxilium praeveniens et potentiam N.

Inst. 1. Prima omnium gratia est fides, per quam accedimus ad Deum, et sine qua impossibile est placere Deo : sed talis est fides, ut manifestum est ex Apostolo ad Hebr. c. 11. v. 6. scribente : *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquiringibus se remunerator sit* ; ergo.

R. *D. M.* Gratia simpliciter et absolute prima est, per quam etc. N. gratia secundum quid, nempe in justificationis negotio, prima T. Sicut in justificatione infunditur *habitus fidei*, spei et charitatis, sic per *actus habitibus illis correspondentes* fit proxima ad justificationem dispositio, utrumque

asserente TRID. Sess. 6. c. 6. et 7. ; unde sicut ab INNOC. XI. damnata est haec propositio ordine 23. : *Fides late dicta, ex testimonio creaturarum similive motivo, ad justificationem sufficit*, sic e contrario verum est, quod fides stricte et proprie dicta sufficiat ad justificationem, et quod inter *actus salutare*, quibus homo proxime ad eam disponitur, primus sit.

Exinde tamen necdum conficitur, actum ipsum *formalis fidei* esse primam gratiam etiam ad justificationem, cum constet ex dictis, eundem praeveniri gratia tum *illustrationis* ad iudicium credibilitatis, tum *inspirationis* ad piam affectionem ; unde et secundum distinctionis membrum transmissimus. Caeterum Scripturam hic duntaxat loqui de praerequisitis ad justificationem, non vero ad actum praecise salutarem aut opus supernaturale quaecumque, patet ; tum quia loquitur de eo, quo quis Deo *placet*, seu gratus fit ; quod praestat sola gratia sanctificans, utpote qua una, ut TRID. ait, *homo ex injusto fit justus ; et ex inimico amicus, ut sit haeres secundum spem vitae aeternae* : tum quia per *accessum ad Deum* intelligitur accessus ad gratiam sanctificantem seu justitiam, ut se ipsum explicat Apostolus ad Rom. 5. v. 1. et 2.

Inst. 2. ARAUS II. can. 25. ait : *In omni opere bono nos non incipimus, sed ipse prius fidem inspirat* ; et TRIDENTINUM Sess. 6. c. 8. : *Fides est humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis.*

R. Similiter, fidem non dici hic *initium* gratiarum, sed actuum salutarium, quibus homo proxime disponitur ad justificationem ; quod quidem ex verbis TRID. apertum est, cum fides dicatur *initium salutis* et *radix omnis justificationis* ; quam tamen radicem et initium praecedere semen et excitationem gratiae, idem Concilium c. 6. declarat. Idem liquet ex ARAUS. agente contra *Semipelagianos*, qui initium fidei, h. e. vel credulitatis affectum vel ipsum actum fidei aequo rejiciebant a numero bonorum operum, ac desiderium salutis ex fide conceptum et orationem seu implorationem divinae benignitatis et opis.

Inst. 3. L. 1. ad Simplic. q. 2. n. 2. ait : *Incipit homo percipere gratiam, ex quo incipit Deo credere, vel interna vel externa admonitione motus ad fidem* : et L. de Praedest. Sancto. c. 17. n. 12. *ipsa (fides) prima datur, ex qua impetrentur caetera.* FULGENT. L. 1. de verit. praedest. c. 17. n. 36. *Bonae voluntatis initium, inquit, in fide consistere, liber Cantici Canticozum ostendit, ubi Christus dicit Ecclesiae, venies et pertransies ab initio fidei.* S. THOM. 1. 2. q. 113. a. 4. : *Prima conversio in Deum fit per fidem* ; ergo.

R. Rursus adhibendam esse distinctionem sive de *fide inchoata* vel *perfecta*, sive de *primatu fidei* inter actus salutare ad justificationem aut salutem proxime obtinendum facientes et inter gratias. Nam *primus* AUG. textus loquitur de fide *inchoata* aut saltem Christi cognitionem non complectente, ut ex Cornelii Centurionis exemplo ibidem relato liquet, de quo L. de praed. Sanct. c. 7. n. 12. ait : *Ejus acceptae sunt eleemosynae et exaudite orationes, antequam credidisset in Christum ; nec tamen sine aliqua fide donabat et orabat.*

Secundus textus fidei primatum asserit, non inter gratias, sed inter actus salutare proxime laudatos, ut ex contextu elucet.

Tertius textus non de cujuscumque voluntatis initio enuntiat, sed de voluntate *operandi salutem* ; verbis enim objectis haec immediate praemittuntur : *Cum timore et tremore salutem vestram operamini ; Deus est enim,*

qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate. Hujus bonae voluntatis initium in fide, etc.

Demum quartus textus desumptus est ex eo loco, ubi S. THOMAS agit de dispositione ad justificationem, unde redit data jam aliquoties responsio; praesertim quia memorato etiam sensu 2. 2. q. 4. a. 7. in 0. dicit: *Necesse est, quod fides sit prima inter omnes virtutes*. Eodem modo accipienda sunt dicta GREGOR. M. L. 2. Mor. c. 23. (al. 46. n. 71.), et PROSPERI in Carm. de Ingr. c. 19., quibus fides vocatur *primogenita proles, et voluntatis genitrix, operumque creatrix*.

Inst. 4. Juxta S. AUG. L. de praedest. Sanctor. c. 8. n. 16. *Fides et inchoata et perfecta donum Dei est; et hoc donum quibusdam dari, quibusdam non dari omnino non dubitet, qui non vult manifestissimis sacris Litteris repugnare: ergo et fides inchoata non datur omnibus.*

R. D. Cons. Ergo fides inchoata non datur omnibus quoad suam substantiam et ipsum actum C. quoad auxilium praeveniens et potentiam N. Actu credere est quidem donum Dei, et hoc omnibus non datur; sed posse credere etiam est Dei donum, quod omnibus dari saltem secundum potentiam remotam, hactenus ostendimus.

Inst. 5. Gratia remote sufficiens est vel *gratia orationis* vel *vocatio divina*: sed neutra omnibus datur; de prima enim id asserit Apostolus ad Rom. 10. v. 13. et 14.: *Omnis quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante?* adeoque cum gratia ad orandum habeatur per auditum praedicantis, hic autem omnibus non detur, etiam non datur gratia orationis: de *secunda* loquitur Aug., dum L. de don. persev. c. 9. n. 21. ait: *Ex duobus aetate jam grandibus impiis, cur iste ita vocetur, ut vocantem sequatur, ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur; inscrutabilia sunt judicia Dei;* qua disjunctione postrema non tantum congrua, sed et sufficiens vocatio negatur. Idem docet S. PROSPER Respons. ad capitula Gallorum, p. 2^a. sent. 4. (opp. p. 220.), scribens: *Qui dicit, quod non omnes vocentur ad gratiam, si de iis loquitur, quibus Christus annuntiatus non est, reprehendi non debet; ergo.*

R. D. M. Gratia remote sufficiens est *gratia orationis*, qua invocatur Deus fide vel late vel stricte tali cognitus, vel est *vocatio divina* ad quaecumque opus bonum C. est *gratia orationis*, qua invocatur vel Deus fide stricte dicta et perfecta cognitus, vel Christus explicite creditus, vel est *vocatio divina* ad fidem Christi maxime explicitam N. Testimonia in *min.* producta de gratia orationis et vocatione, posteriori distinctionis membro indicata, loquuntur. Et quidem de textu PAULI id praeter verbum 9. probat illatio v. 17. subjuncta: *Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.*

De sententia autem AUG. id docet tum totus liber, tum quae objectioni sunt immediate adjuncta; quia praemittit quaestionem, cur e duobus parvulis unus assumatur, alter non assumatur ad Baptismum, et subnectit quaestionem, cur alter perseverantia in fide et bono donetur, alter non? adeoque in quaestione intermedia sciscitatur de altero vocato, altero non vocato ad fidem Christi. Tandem id ipsum contextus aperit de effato S. PROSPERI, qui continuo hanc rationem subjicit: *Quia scimus quidem in omnes fines terrae Evangelium destinatum, sed non putamus jam in omnibus terrae finibus pra-*

dicatum, nec possumus dicere quod ibi sit gratiae vocatio, ubi Matris Ecclesiae adhuc nulla est regeneratio.

Caeterum vel solam *fidem late dictam* sufficere, ut quis Deum invocare queat, colligitur ex epist. ad Rom. gentes inexcusabiles asserente, quod Deum non glorificaverint, ut eum ex creaturarum testimonio cognoverant: gratiam vero quamcumque etiam indirecte tantum moventem ad fidem dici posse *vocationem*, AUG. L. de gr. Chr. c. 13. 14. 19. 33. etc. saepius ostendit.

360. *Observe.* Post Lutherum et Calvinum negavit Jansenius, Judaeis sub lege Mosaica adfuisse auxilia gratiae sufficientis, atque ad hunc errorem suadendum quinque omnino capita impendit; sed quam fuerit haec opera maligna, experti sunt inter alios Arnaldus et Quesnellus, illius in hoc non minus dogmate, quam in reliquis, jurati Sectatores. Prioris enim fuit illa propositio ab ALEX. VIII. proscripta, num. 356. Inter posterioris autem propositiones a CLEM. XI. solemnibus Constitutione *Unigenitus*, damnatas, sunt 6. et 7.

Equidem damus, quod nec *lex Mosaica*, pro solis praecipis sumpta, suffecerit ad bene agendum, nec eadem, secundum complexionem Sacramentorum ac principiorum accepta, per se aut justificaverit, aut gratiam contulerit: negamus vero in statu legis aut cum lege hominibus non adfuisse gratiae auxilium, quo foederis hujus homines sancti fuerint justificati, reliqui vero omnes sanctificari potuerint; cum ejus oppositum S. AUG. L. 3. ad Bonif. c. 4., et D. Th. 1. 2. q. 93. a. 3. ad 4. aperte doceant.

Rursus concedimus, *bonorum temporalium* promissiones fuisse legi antiquae proprias; inficiamur vero, aut has promissiones in lege fuisse unicas, adeo ut nec implicate vel obscure adjunctae fuerint promissiones supernaturales ac aeternae; cum *vita aeterna* Abrahamo, Tobiae, Machabaeis aliisque legatur in Scripturis promissa, aut saltem exspectata: aut has promissiones definiuisse hominum animos in solo terrenorum amore; cum teste Aug. cont. Faust. L. 4. c. 2., et L. 23. c. 10. bona temporalia Judaeis fuerint figurae aeternorum, et incentiva ad felicitatem caelestem desiderandam.

Tandem fatemur, et occasione legis *abundasse delictum* ex hominum vitio, et legis scopum fuisse aliquem, ut homines capto propriae infirmitatis experimento implorarent opem Dei: sed quod aut lex ipsa fuerit mala, aut data sit ad finem malum, sic tanquam Manichaei et Calvini blasphemiam detestamur: praeterea ab illius assignati scopi intentione seria abfuisse gratiae sufficientis elargitionem pernegamus; quandoquidem ad opem Dei postulandam gratia sit necessaria, et ut S. PROSPER resp. 8. ad cap. Gall. ait, *sine gratia nemo currat ad gratiam.*